

vestris, idem ac Romanis, Hasta, Disco, Cæstu, Cursu, & aliis iudis iuuentutem exercendi mos; Hinc Palæstra decertare soliti, in Campo Martio; inde Batulia, quæ vulgò Battalia, seu Militum, ac Gladiatorum solemnes Sequanis Exercitationes, de quibus Adamantius Marius apud Lipsiam; Inde, & Amphitheatrum, in quo Maximæ Sequanorum, id est, Vezontionis Præses, Gladiatores dabat; vnde & vico huic proximo, Arenarum remansit nomen, & pererupto, ac celebri adagio, quæ nunc porta Troiæ, Arenarum Porta, in Calixti II. Instrumento nuncupatur.

Nec Vrbis totius Orbis Dominæ, quam tot sæculis antecessit, nisi cum orbe vniuerso, tandem virtuti cessit; imò nec propriè cessit, sed propius accessit. Cum vna in Gallis immobilis Romanis Aquilis adhæserit, quas & binis firmauit columnis, ne aufugerent; cum auspiciatissimo Symbolo Vtinam, & in Ciucæ Domus aureis caracteribus hoc insculpto stemmate Deo, et Cæsari Fidelis Perpetvo, quam & fidelitatem omnibus aliis Imperij Prouinciis, quibus exemplo præest, voto solemni, per illud optatissimum Vtinam deprecatur.

Quantum autem honorificum Sequanis Fœdus, non minus proficuum extitit Romanis; Cùm vix, nisi Sequanorum adiuti viribus fortiter aliquid gesserint ipsi Cæsares. Irrefragabilis Author adducatur fortissimus Prouinciaæ Sequanicæ Dux Ægidius, sub quo Sequani militabant; nam & ille pars magna fuit, & ipsius auxiliaribus copiis usos sæpe, ac triumphasse Romanos, ex notitia vtriusque Imperij claret.

Verùm cui Mortalium vulgatissimæ XVI. Sequanorum in Cappadocia cohortis ignota virtus; qui Parmam albam pro insignibus gestabant, IV. Cæruleis insignitam Peltis, quæ & æqualiter inter se distantes, Orbem rubro circumdabant circulo, qui lineis decussatus, in quatuor diuidebatur partes, quarum albæ duæ, duæ cæruleæ pingebantur, dum Parmæ totius marginem, limbus cæruleus cingeret.

Rubro circulo inclytam Gentis igneæ generositatem, linearum candore, mentis puritatem, colore cæruleo adumbratam sapientiam indicantes: Peltarum denique Orbem, circumcingentium ambitu, vniuersum Romanum Imperium, licet in IV. diuisum partes, heroicis hisce Sequanorum virtutibus, tutissimè circumuallari, ac protegi, vt nulli mirum esse debeat, si ob probatam sapientiam bellicæ Gentis fortitudinem, à Iulio Cæsare, in primis culta fuerit, & obseruata; Tantæ siquidem inuictissimi huius Imperatoris æuo, fuerunt Sequanorum vires, vt & Principes Alemanno stipendiarios habuerint, & Athenienses remotissimi extiterint vectigales, & coegerint obsides dare.

Aliis Imperatoribus primi, ac inuictissimi Cæsaris seculis Gentium, fortissimum illud Imperij propugnaculum, adeò sacrum, & charum extitit, vt Aquilis inseparabiliter annectendum duxerint. Ex his Ricardus Romanorum Rex anno 1260. in Epistola ad Bizuntinos, Ciuitatem Bizuntinam, non posse ab Imperio separari, nec teneri Imperij vicarium

admitte